



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 8. Gratitude erga homines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

didit gratias? imò maximas. Quas? audi: *cre- didit ipse, & domus ejus tota*. v. 53. ò præ- clarum munus! ò perfectam gratitudinem! Nihil Deo offerre potes gratius in gratiarum ac- tionem, quam confessione m tuam. Oliva .9 Stromibidem.

O Christe! Dei Verbum, & Sapientia, & potentia, & Deus omnipotens! quidnam tandem nos inopes tibi pro omnibus his repen- demus? Tua enim sunt omnia. Nec quid quam à nobis, nisi salutem nostram exposcis. Quod ipsam quoque tribuis. Quæque sermo- ne omni præstantior tua bonitas est; beneficium accipientibus gratiam habes. S. Joan. Damasc. Orthod. fid. l. 4. c. 4.

Dominus quinque à nobis requirit pro re- demptione nostra. 1. ut à peccatis ad eum rever- tamur. II. 44. 22. *revertere ad me, quoni- am redemi te*. 2. ut eum diligamus 3. ut ipsi soli serviamus. I. Cor. 6. 20. *empti estis re- tio magnò*. 4. ut tantum beneficium ubique prædicemus. II. 48. 20. *anatum facite b. c. & efferte illud usq. ad extrema terra*. 5. ut pro tanto beneficio gratias agamus. Pf. 70. 23. *exultabunt labia mea, cum cantavero ti- bi; & anima mea, quam redemisti*. S. Th. Aq. D. infra Oct. Nat.

Luna. Lem: *in ipsum cornua nunquam*. Scilicet in solem.

§. VII.

Gratitudo erga homines.

Quid pro hac fide honoris, ac præmij, Mardocheus consecutus est? Esth. 6. 3. Dixerunt servi: *nihil omnino*. Assverus erubuit, pertæsus plurimum; quòd suo in re- gno viveret nullà mercede, qui ipsum tantò periculò eripuisse. Ideo mox correcturus ingratum animum, jubet Hebræum triumphare in civitate. Scribantur caractere aureo acti- ones præclaræ subditorum, ac Ministrorum; scribantur eorum incommoda, pericula, itinera, detrimenta valetudinis &c. Si hæc omnia in Diarijs scriberentur, & legerentur, tempore à negotijs vacuò; Mardochei multi, qui jacent ad limina conculcati, obnoxij Ammonitarum insidijs, donarentur supremis honoribus. Sed quia facta præclara in aqua scribuntur; ideo a- dulatores triumphant, & bene meriti crucian- tur. Conservantur in tabulis reorum crimina signata caractere publicò; nec unum foliolum reperitur, in quæ notentur vel apice sudores ube- res laborantium pro bono communi, aut domi- ni sui. Oliva t. 3. conc. 5.

S. Antonini Florentini Archi. Episc. gratia- rum actio, chartulæ inscripta, præponderasse di- citur canistro toti pomis relecto. Doultreman l. 1. c. 3. Sect. 3.

Olim, à quo quis beneficium acceperat, ejus nomen assumebat. Sic Sancti. Cyprianus

Cœcilij nomen assumpsit à Cœcilio presbytero qui eum ad Christum convertit. Eusebius Cæsariensis Pamphili nomen sibi ascrivit à Pamphilo Doctore, & Martyre. Josephus Historicus Fla- vij sibi pronomen assumpsit à Flavio Vespasiano Imp. qui eum honoribus auxit. Cornelius in Cant. Canon. 16.

Cum Sancti. Franciscus ex liberalitate Abba- tis montis Subesij, Benedictinæ Religionis æ- dunculam accepisset S. Mariæ de Portuñcula, filijs suis enixè commendavit, PP. Benedictini summas semper habere gratias. Et ut locum hunc suum non esse monstraret, gratiam exhiberet; quotannis fiscellam piscium ex p- ximo flumine ad Benedictinos, velut ad censum, dari curabat. Annal. Min. t. 1. An. 1210. n. 30.

§. IX.

Gratitudo animalium.

Cum S. Modomnocus, discipulus S. David Archi. Episcopi, Hiberniam peteret; na- vem ingressus, cunctæ apes eum secum na- vem insidentes. Servierat enim earum alve- arijs. Redijt ad Magistrum sequentibus api- bus. Abijt iterum; iterum sequuntur; idque tertio. Tum ijs benedicens: terra, ad quam properatis, vestrò abundet semine. Et ita Hibernia, in qua ad id tempus apes vivere non poterant, ijs nunc abundat. Bolland. 1. Martij.

Venetij quidam in litore mare labore remi- gij sulcabant; cumque applicuissent, formi- dandum vident non procul à litore leonem in- gentis draconis spiris involutum. Cumque il- lic draco captum ad speluncam suam violenter attraheret, hinc miserabilis leo, quibus valebat nisibus, reluctabatur. Sed Pandoces, qui re- pentè huic spectaculo supervenerant, miserantes leonis vicem, arma corripiunt, draconem peri- munt, leonem de faucibus mortis ereptum abire sinunt. Sed leo, vitæ authoribus gratus, per aliquot dies, quibus illic morati sunt, unam illic quotidie capti à se animalis pellem advexit. B. Petrus Dam. 1. 6. ep. 5.

Lupus puellam adultam invasit, dentibus brachium ejus tenens: quam cum secum tra- heret, quoties illa clamare cepit, clamantem durius pressit, & tacenti pepercit. Ducta est ab eo in sylvam ad alium lupum, cujus gut- turi os fuerat infixum. Qui cum nimis tor- queretur, per os affecti lupi manus puellæ in guttur hiantis mittitur, à qua os inhaerens ex- trahitur. Sanctus verò mox cum suo colle- ga puellam ad villam proximam reduxit. Stengelius t. 1. Jud. div. c. 22. ex Cæsario l. 10. c. 66.

Vide tit. Ingratitudo.



Tit.